

(1) *Erat vir iste inter Aquenses illustris, ac maxima auctoritatis, sed ob aliquod dissidium inter ipsum, & civitatem ante paucos annos obortum Alexandriam petiit, & cum hac civitate societatem junxit, quæ res adeo Aquensibus fuit molesta, ut in ipsum propter ejus recessum de Aquis, in judicium vocatum nec comparentem sententiam tulerint, ejusque domos, ac prædia satis ampla occupaverint. Quæ cum ipse ægre ferret, Vicarii imperialis opem adversus Aquenses imploravit, eamque Alexandrinorum patrocinio fultus facile impetravit. Ceterum licet causæ totius peculiaris adjuncta non satis perspecta habeamus, ex aliis tamen chartis apparet hinc nova discordiarum semina inter duas æmulas civitates injecta fuisse, prout latius alibi, ac anno 1242. nondum sopitam hanc controversiam fuisse.*

*Litteræ Gregorii IX. Clero, ac populo Aquensi circa renovationem unionis Ecclesiæ Aquensis cum Alex. juxta breve Inn. III.*

201

M C C X L

Gregorius servus servorum Dei, dilectis filiis Clero . . . potestati, consilio, & populo Aquensi &c. De fel. mem. Alexandri PP. prædecessoris nostri benignitate processit, quod pie considerans Alexandrinam civitatem in honorem Principis Apostolorum fuisse constructam ipsam pontificalis dignitatis titulo decoravit Apostolicæ sedis auctoritate decernens, ut quoniam Alexandrina civitas longe major est, & populosior quam Aquensis Episcopalis sedes, de illa, cujus diocesi est contigua, transferretur ad istam. Processu vero temporis piæ recordationis Innocentius PP. prædecessor noster Alexandrino populo suppliciter postulante, ut quod idem Alexander PP. provida deliberatione decreverat, faceret executioni mandari, statutum ejusdem taliter moderatus est, quod Alexandrinam Ecclesiam, & Aquensem univit statuens, sicut in confecto super hoc Apostolico privilegio continetur, ut unus, & idem esset Pontifex utriusque, unam, & eandem sedem obtinens in utraque. Decrevit etiam, ut si forsan Aquenses contra formam in eodem privilegio declaratam venire præsumerent, nisi ad monitionem Romani Pontificis suæ corrigerent præsumptionis excessum, Episcopalis sedes de Aquensi civitate in Alexandrinam transferretur, & si Alexandrini contra idem statutum excedent, nisi ad Apostolica monita satisfacerent de excessu, præscriptæ dissolveretur vinculum unionis. Hac enim prædictus Ianoc. consideratione ductus Alexandrinos pro eo, quod tunc temporis inimicis Ecclesiæ adhæserunt, ad ipsius redire mandatum temere contemnentes Episcopalis destituit dignitatis honore, quam nos exigentibus meritis fidei, ac devotionis ipsorum, in quibus Ecclesiæ se hoc potissimum tempore gratos reddere studuerunt, eis restituendam duximus de gratia speciali concedentes eisdem, ut ipso gaudeant perpetuis futuris temporibus secundum formam privilegii memorati. Verum cum nostri sit desiderii, ut & vos per opera gratitudinis ipsius Ecclesiæ studeatis gratiam promereri, præcipiendo mandamus, quatenus a per-

secutione civitatis ejusdem, quæ sedis Apostolicæ specialiter existit . . . omni occasione postposita desistatis: ac F. dicto Imperatori Dei, & Ecclesiæ inimico, ejusque fautoribus nullum de cetero contra Ecclesiam, & Ecclesiasticam libertatem impendentes consilium, auxilium, vel favorem, speciales nuncios vestros de stando mandatis nostris super eo sufficiens mandatum habentes, quod sæpe dictam civitatem Alexandriæ in nostrum, & Apostolicæ sedis contentum gravibus affecistis injuriis, infra duos menses post susceptionem præsentium ad nostram præsentiam destinatis. Alioquin vobis merito imputare poteritis, si culpis vestris exigentibus civitatem vestram contigerit Episcopali sede privari . . . Datum Laterani VI. id. maii anno XIV.

*In eodem fere modo alias dedit Abbati S. Justinæ de Sexadio Aquens. diac. huic semillimas usque ad illa postrema verba, Episcopali sede privari, post quæ hæc alia habentur. Quo circa mandamus, quatenus Clerum potestatem consilium, & populum Aquensem ad id attentius moneas, & inducas, quod super hoc feceris, & inveneris nobis fideliter rescripturus. Datum ut supra.*

*Hic Pontifex alias hoc anno dedit litteras Abbati S. Eug. de Saona, ut cogeret Canonicos Aq. ad quemdam Ogerium in fratrem recipiendum, quas ita exhibet Autographum Capituli. Vener. in Christo F. F. Præposito & Capitulo Aq. Ugo Abbas Mon. S. Eugen. Saon. Dioc. salutem &c. Noveritis nos nuper recepisse D. PP. literas in hac forma; Gregor. E. S. S. D. D. F. Abbati S. Eug. &c. Exhibita nobis dilecti filii Ogerii Clerici Aq. Dioc. petitio continebat, quod cum nos olim pro eo dilectis filiis Præposito & Capitulo Aq. direxerimus scripta nostra, ut in eorum Ecclesia resideri paratum non obstante certo canonicorum numero juramento seu juramento seu quacumque alia firmitate vallato, seu si pro aliis eis direxerimus scripta nostra, quibus ex hoc nolumus præjudicium generari, reciperent in canonicum & in fratrem & præbendam quam cito se facultas offerret, liberaliter conferre carerent eidem, id efficere ipsi hæcenus non curarunt, prout ejusdem Clerici labor ad nos indicat iteratus. Volentes igitur &c. Dat. Laterani VII. Kal. maii pontificatus anno XIII.*

*Sententia arbitratorum circa decimam Monasterii de Tilieto versus Ecclesiam Aquensem.*

M C C X L I

202

Anno Domini MCCLI., indictione XIV., die Veneris ultima maii in præsentia testium, quorum nomina subscripta leguntur. Causa inter Dominum Oglerium canonicum Aquensem, & syndicum, secundum quod apparebat in quodam instrumento, quod vidi, & legi ab Henrico Notario facto anno Domini MCCXLI., indictione XIV., die Dominico XII. maii, in claustrum majoris Ecclesiæ Aquensis: D. Lotterius præpositus, & canonicus &c. nomine capituli Aquensis ex una parte, & fratrem Petrum monachum de Tilieto, & syndicum, ut in quodam instrumento publico continetur, quod prospexi ab Opitione Not. factum, quod sic